



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

I. Licet vnicuique, vbi voluerit eligere sepulturam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.

*f.A. cle-
nico

quare sibi exinde, absente abbate, & ignorante, respondere episcopo nullatenus tenebatur. Vnde ad nostram appellauit audientiam: sed prædictus episcopus, quod vix credere possumus, appellationi non deferens, abbate absente & ignorante, & non citato, ecclesiam ipsam prædicto * Vu. adiudicauit; in quo facto prædictus abbas & fratres se asserunt esse grauatos. Quia vero sollicitudini nostræ incumbit, viris ecclesiasticis, & præcipue religioni & honestati deditis, iura sua integra seruare, & id quod inter alios actum sit, aliis præiudicare vel nocere non debet, discretioni vestræ, &c. quatenus partibus ante præsentiam vestram conuocatis, si vobis ita esse constiterit, præfato abbati & fratribus præscriptam ecclesiam, cum fructibus inde perceptis, amoto eo qui in eadem ecclesia intrusus est, nostra auctoritate freti, occasione & appellatione cessante, restitui faciatis. Restitutione autem facta, si de proprietate forte agere voluerint, causam audiatis, & eam, mediante concordia vel iudicio, sublato appellationis remedio terminetis.

Supra, de
spoliatus.

CAP. III.

Idem decano Lincolnienfi & abbati de Riuallis.

Accepta conuestione P. clerici, quod violenter ecclesia de Procebrant fuisset spoliatus, discretioni vestræ per A. S. præ. si bene meminimus, dedimus in mandatis, vt si per officiales venerabilis fratris nostri Eboracensis archiepiscopi apostolicæ sedis legati, ex concessione ipsius in eadem ecclesia fuisset institutus, & inde per violentiam eiectus, eam sibi auctoritate nostra restitui faceretis. Quibus cognitis, responsum est sicut nobis.

DE SEPVLTVRIS,
ET DEFVNCTORVM VOLVNTATIBVS.

PARS
XLIII.

CAP. I. *Item Paschalis secundus.*

VOLVMVS, ac iuxta Canonum sententiam nobis probabile videtur, vt sicut morienti conceditur, rerum suarum iudicium facere quocumque loco sibi placuerit, sic nimirum iustum est, sui corporis licentiam habere eli-

Concil. Tom. 27.

SSS ij

gendi sepulturam, in quocumque loco voluntas extiterit, siue in monasteriis, siue in aliis locis.

ANNO
CHRISTO
1179.

CAP. II. *Item papa Leo tertius.*

Matth. 27.
Luc. 10.
Matth. 10.
1. Tim. 5.

2. Cor. 1.

Premerb. 22.

Nos instituta maiorum patrum considerantes, illorum decreta firmando statuimus, vnumquemque in maiorum suorum sepulcris iacere debere, vt patriarcharum exitus docet. Nulli tamen denegamus propriam eligere sepulturam, & etiam alienam: Dominus enim & magister sibi alienam elegit non propriam, qui sine peccato erat. Sed quia *dignus est operarius mercede sua*, tertiam partem iudicii sui illi ecclesie censemus iure dari, in qua caelesti pabulo a principio sui exordii refectus cognoscitur, vt iuxta Apostolum, sint socii consolationum, vt fuerunt passionum, & sic demum, vbicumque libitum fuerit, eligat sepulturam; aliter ne fiat, auctoritate Domini nostri, qui per prophetam locutus est, dicens: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui*, sub vinculo anathematis detestamur & contradicimus, nec nostrum est, nec alicui * vndique vel sacerdoti vel fidelilaico vnquam licuit, * f. vii. que sine magna delicti culpa, in talibus proferre iudicium, &c. ea quidem quae mortuo posito ante sepulturam eius, facta fuerint, vel exigendo quod debitum esse dicitur, vel confessiones aliquas, aut fideiussores, aut pignora capiendo, penitus amputari praecipimus.

CAP. III.

*Item Alexander tertius Cantuariensi archiepiscopo. Pars capituli
Qua fronte. supra de excommunicatis.*

Super eo vero, quod defuncto aliquo, interdum religiosae personae, interdum ecclesiasticae, interdum etiam saeculares, postulant sibi debita solui, quae defunctus ipsis debebat, & nisi soluantur, ne corpus defuncti sepultura tradatur, vocem appellationis emittunt: hoc tuae fraternitati duximus respondendum, quod si defunctus de rebus suis disposuit, & debita disponere praetermisit, nisi de solutione debitorum (dummodo sit soluendo) ab herede vel consanguineis defuncti sufficiens cautio detur, corpus eius, postposita appellatione, ecclesiasticae sepulturae non tradetur.